Paraldus, Guilielmus: Summa de virtutibus et vitiis
Cologne: Heinrich Quentell, 1479, 1479 Seite 106



est illi esse: aliud viuere aliud intelligere aliud bonū esse. sed quid est illi viuere intelligere beatū esse hoc est illi esse ꝓpter hanc incōmutabilitatē et simplicitatē intellexerūt eū et ōnia ista fecisse et a nullo fieri potuisse. Itē cū modico corpi hominis regendo racō sit accōmodata quo ipm̄ regatur. quia impedimenta vel ōnino amissa corpꝰ periclitatur. vel in puluerē redigitur. verisimile est rationē aliq̄ esse qua vniuersitas fabrice mundi regitur. Item cū racō que in homine est agnoscat se esse et non semper fuisse et causā aliquā habuisse que eā precessit. Causa autē rationis irrationalis esse nō potuerit. necessario racionem hūanā et q̄ncunq3 aliam racōnem que eē incepit aliq̄ racō precessit. que esse non incepit et hec racō deus est qui vniuersitatē rerꝝ regit. Vn̄ seneca ī libro de naturalibus questionibus. Nostri pars melior animus est. ideo extra animū nulla ps est. totus est ratio.

## De errore ydolatrie. vij. Ca.

**Dictum est de errore eorum qui deum** eē negāt/ nunc dicendū est de errore eorꝝ qui creaturas deificant. qui error ydolatria dicitur Et primo ꝓstendemus/ quid sit ydolatria. Secundo tāgemus de causis eius. Tercio de speciebus. Quarto de destructione eius intendemus. Notadum ergo/ q latria/ est sūme venerationis cultus soli deo exhibendus. Vel latria/ est voluntaria ꝓfessio diuine maiestatis. Ydolatria vero/ est cultus deo debitus creature exhibitus. Et dicitur q̄si ydolo latria. nō q2 iste cultus semper ydolo exhibeatur. sed q2 frequenter: vel q2 primo ydolo est exhibitus. Et notādū q ydolū qn̄q3 dicitur lignū vel alia res sic figurata. qn̄q3 vero dr ꝯiūctū ex ymagine et demone presidente. et sic sumitur prima Corꝝ. viij. c. dicit apostolus/ q nichil est ydolū in mundo. illud enim quod putabāt esse ydolū/ p personā. sc3 subsistentē ex simulacro et spiritu presidente nichil erat. Item notādum q inter ydola gentilium quedam ymagines erant/ tātū ad

Nota de latria

ydolatria

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iv-389/0105
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG